



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm

Vinitor, Gerlacus

Coloniae Agrippinae, 1656

Perillvstri Et Reverendissimo Domino D. Georgio Pavlo Stravio Episcopa
Ioppensi...

urn:nbn:de:hbz:466:1-9459



PERILLVSTRI
ET
REVERENDISSIMO DOMINO
D. GEORGIO PAVLO
STRAVIO

EPISCOPO IOPPENSI,

SERENISSIMI AC REVERENDISSIMI PRINCIPIS
ac Domini D. MAXIMILIANI HENRICI Archiepisco-
pi ac Principis Electoris Coloniensis &c. Vtriusque Bavariæ
Ducis &c. per Civitatem & Archidiecesin Coloniensem
Suffraganeo & Vicario in Spiritualibus Generali, Metropo-
litana atque S. Ursula Ecclesiarum Coloniensium
Canonico &c. Domino ac Patrono meo
colendissimo.



Um nihil æque Ecclesiæ Catho-
licæ, toto terrarum orbe diffusæ,
vno sub capite à Christo Domino
nostro institutæ, vno Baptismate
initiatæ, vnâ in fide à spiritu sancto
instructæ, dignitatem & vnitatem
commendet, quàm eorum omnium, quæ ad debi-
tum Dei colendi, sacraque mysteria sanctè tra-
ctandi

*

E P I S T O L A

standi & dispensandi, atque Ecclesiastica munia
 iuxta gradus, ordinis, ac ministerij qualitatem, recte
 ac conuenienter obeundi ritum, spectant, omni-
 moda conformitas & consensus: non immerito
 Tridentinum Concilium, eò maiorem horum ra-
 tionem haberi voluit, in sacrosancto Missæ sacrifi-
 cio, condigno religionis cultu & veneratione cele-
 brando, quò nimirum nullum aliud opus sanctius
 à Christi fidelibus peragi potest, quàm ipsum, per
 quod viuifica illa hostia, qua Deo reconciliati sum-
 mus, in Altari per sacerdotes quotidie immolatur.
 Omnem proinde operam & diligentiam adhiberi
 necessè est, vt hoc ipsum quanta maxima fieri potest
 interiori cordis munditiâ & puritate, atque exteriori
 deuotionis ac pietatis sensu, nec alijs cæremonijs
 aut ritibus, quàm ab Ecclesia Romana cæterarum
 omnium matre & magistra probatis, ab ijsdem de-
 bitè perficiatur, vt qui animis consona sentiunt in
 religione, moribus non discrepent in operatione,
 qua Deus cunctorum Pater iugiter & concorditer
 à Christi-fidelibus semper laudetur, & in hoc au-
 gustissimo Missæ sacrificio adoretur & inuocetur,
 cum alioqui maledictus sit is, qui facit opus Dei ne-
 gligenter, aut aliter quàm Ecclesia ordinauit, quem
 etiam anathemati subiacere decreuit prædicta Tri-
 dentina Synodus hisce verbis: *Si quis dixerit, receptos &*
approbatos Ecclesiæ Catholice ritus, in solenni Sacramento-
rum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut
sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios
per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, ana-
thema sit.

Mul-

I DEDICATORIA.

Multum ergo constat interesse, ad tanti sacrificij maiestatem, & rudis populi ædificationem, eosdem ubique seruari ritus, ne is ex eorum diuersitate, vel diuersum quoque Deum suspicetur, vel vnus sacerdotis hostiam alterius hostiã sentiat esse acceptiorem, his enim ignaræ plebeculæ sublatis suspicionibus maiorem fidelium mentibus instillabit deuotionem. Sed & sacrorum ministeriorum uenerationem, valde augebit si templa, vasa sacra, utensilia & ornamenta munda custodiantur, eadem circa hæc cæremoniæ, ab vniuersali Ecclesia præscriptæ, vsurpentur. Hinc est quod, vti passim videmus, homines (Dei haud dubiè impulsu) longioris, etiam lutulentæque viæ tædiæ & incommoda minùs horrescant, quo puris sacrorum ritibus interesse queant, quam vicinæ & sordescens Ecclesiæ commoda adament, quorum feruori vltèrius promouendo & propagando, non exiguo sanè rei Christianæ detrimento, iniuriam faciunt, & moram leuiculi quidam ministri, qui indecoro cantu, ineptis gesticulationibus, superuacaneis geniculationibus, insolitisque & proprio genio adinuentis cæremonijs, aut sine certa auctoritate introductis, rem diuinam cum populi offendiculo perturbant & dehonestant. Hi obsecro non tam me quàm S. Augustinum audiunt dicentem. *Omnia talia quæ neque sanctarum scripturarum auctoritatibus continentur, neque in Concilijs Episcoporum statuta inueniuntur, neque consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter narrantur, resecanda existimo.*

* 2
Atque

E P I S T O L A

Atque hæc præcipua fuit causa, vt variorum sum-
 morum Pontificum à primis etiam sæculis, tam præ-
 clarus, quàm pius in eo defudauerit conatus, quò
 omnia honestè & secundum ordinem fierent, vt
 certas leges & regulas, quas Rubricas appellare so-
 lemus, pro Missis tum solennibus, tum priuatis ce-
 lebrandis præscripserint, præscriptas autem, irre-
 pentibus paulatim temporum iniuria & hominum
 incuria atque improbitate diuersis erroribus & a-
 busibus, à tanti sacrificij dignitate alienis, depraua-
 tas, pristino rursus restituerint, & ad nostra
 usq; tempora custodendo & corrigendo stabiliuerint
 & ad auxilium in tantis singulis Eucharistiæ Sacra-
 mentum, quod est panis in via, panoplia con-
 tra hostes præsidium in periculis viaticum & sola-
 tium in morte, & odor tuauissimus coram irato Nu-
 mine, modo quædam excellentissimo & studio pro-
 fus singulari, coleretur, & populo diuinæ mentis
 accumbenti decentissimè distribueretur. Quæ co-
 gitatio sic animum meum perculit vt planè inhor-
 rescam, dum quidam ad tantum sacrificium, quod
 numquam eo, quo decet cultu, quantumuis Ange-
 lis in puritate, S. Ioanni Baptistæ in sanctitate pares,
 venerari possumus, imparati, tanquam *ex hara ad a-*
ram accurrentes, minusque instructi, in Sacrosanctis
 illis cæremonijs & ritibus, quibus Ecclesia hoc offer-
 ri voluit, irruunt. Quo in genere cum etiam ignoran-
 tia, etsi omnino inexcusabilis, inter causas conside-
 ret, hortatu, imò iussu magnorum virorum, quibus
 non obtemperare nefas fuisse est Deo comprimis,
 B. m.

B. m.
 & S
 ante
 rant
 dit
 tio t
 siæ v
 strac
 ne in
 tium
 sacri
 in ad
 bus
 instr
 Etum
 præ
 ab Ap
 tur, d
 tisim
 nunc
 pand
 tuntu
 Q
 vtni
 roru
 mun
 hoc
 reue
 rend
 iteru

DEDICATORIA.

B. ma etiam V. Maria, Angelo custode, SS. Virgula
& Sodalibus eius pio instituto & labori fauentibus
ante octo circiter annos manum omnibus igno-
rantibus & minùs peritis conatus sum porrigere, e-
dito *Sacrorum Rituum Compendio*, cuius quidem edi-
tio tantâ cessit tum bibliopolæ felicitate, tum Eccle-
siæ utilitate vt per diuersa loca exemplaria illius di-
stracta fuerint & absorpta ac nulla è prima editio-
ne in bibliopolio supersint. Quapropter operæ prei-
tium me facturum existimaui, si libellum hunc, qu-
sacris initiatis aut initiandis possit esse in via comes,
in actionibus sacris director, in casibus occurrenti-
bus arbiter & consultor, in cæremonijs addiscendis
instructor, accuratiore studio à me relectum, corre-
ctum, & duabus etiam partibus auctum, iterum
prælo submitterem. In quo primò Rubricæ Missalis, recens
ab Apostolica Sede correctæ, quàm emendatissimè, exprimun-
tur, deinde quæ in Rubricis obscurius proponuntur è proba-
tissimis Auctoribus breuissimè exponuntur. Quibus omnibus
nunc Cæremonia in præcipuis festiuitatibus per annum vsur-
pandæ, atque ritus Pontificales ante hac desiderati subnec-
tuntur.

Quia verò prudens hominum nunc obtinet vsus,
vt nihil typis vulgetur, quod non conspicuorum vi-
rorum cohonestet tutela, fulciat patrocinium, &
muniat præsidium, & ego, reunitatis meæ conscius
hoc *Sacrorum Rituum Compendium*, non meum, sed
reuerà omnibus modis tuum Perillustris ac Reve-
rendissime Domine ac Patrone maximè, vri, ante,
iterum Tui Perillustris nominis fulgore & insignijs

EPISTOLA DEBICATORIA.

decoratum, Tuæque Auctoritatis defensione mun-
nitum rursus in lumen emittendum, & manibus e-
ruditorum immittendum censui, causas nullas
enumero, quoniam Coloniae in luce sunt, alibi vix
verbis explicari ritè possunt, vnum dico : *Tibi,*
qui semper SS. Canonum, Concilij
Tridentini Decretorum, Constitu-
tionum Apostolicarum & sacro-
rum Ecclesiae Romanae Rituum
maximus fuisti amator, studiosissi-
mus imitator, accuratissimus ob-
servator, & non minùs exactus
quam zelosus aliorum in ijs in-
structor, omnino debetur. Ita profiteor Colo-
niae ad S. Ursulam ipso Conceptionis B. mæ Ma-
riae Virginis festo. 1656.

Tua Perillustri ac Reverendissima Dignitatis

Clientis ac servus in Domino

GERLACUS VINITOR.

INDEX